Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8457
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Contra adversitates et persecutores ecclesie.

Ecclesie tue quesumus domine preces placatus admitte: ut destructis adversitatibus et erroribus universis secura tibi serviat libertate. Secreta.

Protege nos domine quesumus tuis misteriis servientes: ut divinis rebus et corpore famulemur et mente. Postcommunio.

Quesumus domine deus noster: ut quos divina tribuis participatione gaudere, humanis non sinas periculis subiacere.

Pro tribulatis.

Ne despicias nos omnipotens deus famulos tuos ad te in afflictione clamantes: sed propter gloriam nominis tui tribulatis succurre placatus. Per. Secreta.

Quesumus domine nostris placare muneribus: et quicquid illud est quod iram adversus famulos tuos incitavit, horum intuitu clementer suspende. Postcommunio.

Sumpti sacrificii domine libamine celestis ire vindictam a famulis tuis suspendat: et noxia ab eis semper cuncta repellat. Pro infirmis.

Omnipotens sempiterne deus, salus eterna credentium, exaudi nos pro infirmis famulis pro quibus misericordie tue imploramus auxilium: ut reddita eis sanitate gratiarum tibi in ecclesia tua referant actionem. Per dominum. Secreta.

Deus cuius nutibus vite nostre momenta decurrunt, suscipe preces et hostias famulorum tuorum pro quibus egrotantibus misericordiam tuam imploramus: ut de quorum periculo metuimus de eorum salute letemur. Postcommunio.

Deus infirmitatis humane singulare presidium, auxilii tui super infirmos nostros ostende virtutem: ut ope misericordie tue